



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXV. Crucifixo Jesu super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ, & adhuc addunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

pus poenitentia. O anime mi! observa: *Deus ultionum Dominus*, non *Psal. 93. 1.*
sumus nos domini ultionum. Proinde te in omnibus humilia, & ex
toto ac sincero corde juxta exemplum mitissimi Salvatoris tui proxi-
mo ignosce, ac pro ejus salute exora.

6. Testem tibi sisto Serenissimam Hassiæ Principem, ac Regis *Montanus in*
Hungariæ filiam S. Elisabetham, extremis quondam calumniis, inju- *Vita.*
riis ac opprobriis post pii mariti obitum à provinciæ proceribus, imò
& propriis subditis affectam, expulsam & rejectam, quas tamen om-
nes calamitates ab inimicis sibi illatas, æquissimo animo sustinuit, &
inimicis suis fideliter, ut DEUS illis ignosceret, oravit. Placuit sum-
moperè divinæ Bonitati hæc oratio, unde ex divino responso accepit:
Nunquam eam orationibus suis sic DEO placuisse, ac tunc, quando
tam ardenti zelo pro suorum salute inimicorum ad DEum oravit.
Claudo cum S. Chrystomo: *Non est possibile, quòd homo, qui dimiserit* *S. Chrystom.*
proximo, non plenam remissionem assequatur. Incomparabiliter magis mi- *hom. 36. in*
sericors est DEUS, quàm nos. *Acta.*



CONSIDERATIO LXXXV.

Crucifixo JESU super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ: Et adhuc addunt.

*Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita
sua. Matth. 27. 39.*

I.

JOb vir dolorum, ac typus Christi non tam de plagis ac doloribus
suis, quàm de linguis blasphemantium, quæ certatim in eum in-
sterquilinio sedentem irruebant, conquestus est, unde præ dolore
animi exclamavit: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me* *Job. 19. 2.*
sermonibus?
Job, inquam, figura fuit patientis Christi, quem in cruce pen-
itentem impii blasphemabant Judæi, ubi positus erat quasi signum & meta

- Thren. 3. 12. meta ad sagittam, unde de eo Jeremias: *Posuerunt me quasi signum a*
 Hebr. 6. 6. *sagittam*, ad quem omnia blasphemiarum emittebant tela: *Rursus cruci-*
figentes sibi met Filium Dei; non enim sufficebat illis deicidis Christum
 ad ignominiosissimam crucis necem esse condemnatum, sed & cruci-
 culpam ac poenam ei identidem exprobrabant movendo caput ac mo-
 nus insultantes ac subannantes: *Vab qui destruis templum Dei &c. &c.*
 Matth. 27. 39. Quæ maledicta & convicia graves erant blasphemix, quia jaciebantur
 in Filium Dei & Sanctum Sanctorum; unde de illis vaticinatus est
 Isa. 1. 4. Isaias Propheta: *Va genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam,*
filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemarunt Sanctum Israël.
 O blasphemi! attendite & considerate, vos peiores estis, quam
 illi Hebræi scelerati, quia Christum de novo in crucem agitis, & nunc
 1. Cor. 2. 8. in cælo regnantem blasphemis vestris configitis: *Illi si cognovissent, non*
quam Dominum gloria crucifixissent; vos autem cognoscitis eum, & credi-
 tis in eum, imò & per ipsum æternam vestram speratis & expectatis
 Isa 52. 5. salutem, & tamen eum blasphematis: *Et jugiter tota die nomen meum blas-*
 Matth. 23. 33. *phematur?* O portenta ingratitude! *Quomodo fugietis à judicio gebennæ!*
 2. Pro omnibus quidem peccatoribus oravit Dominus in cruce
 pendens, & nunc morti violentissimæ proximus: *Pater dimitte illis.*
 Sed utrùm etiam oraverit pro sceleratissimis illis DEum T. O. M. ju-
 giter blasphemantibus, multi ambigunt. Observa orationis modum:
 Luc. 23. 34. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Nota *quid faciunt.* non dixit:
Quid dicunt, adeoque oravit pro crucifixoribus suis & omnibus pecca-
 toribus, qui hujus tam acerbæ crucifixionis causa fuerunt primaria,
 ignorantes tamen, quòd per delicta sua Dominum gloriæ crucifixi-
 1. Cor. 2. 8. sent; sed qui formaliter blasphemare solent DEum, non ignorantes
 Laur. Scalab. & Paul. sunt; unde rectè Laurentius Scalabron: *Pro crucifixoribus Patrem rogat*
 Dom. Pass. *ut ignoscat, pro blasphemis autem nec orat, nec deprecatur, quasi crudelissimè in*
eum sevirerit.
 Et de his quondam Propheta Regius in persona Christi crucifixi
 Psal. 68. 27. vaticinatus, & lamentatus est: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt;*
 Imò & hodie blasphemi illi Christiani ac præsertim consuetudinarii do-
 lorem super dolorem addunt. Omiseri! quid erit aliquando de vobis?
 Levit. 24. 14. *Educ blasphemum*, dicebat quondam DEus ad Moysen, cum in si-
 mili casu nesciret, quidnam esset agendum: *Educ blasphemum extra ca-*
stra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum
 Salvia. l. 4. *populus universus.* Et cur populus universus? Et nunquid à paucioribus
 de gubernat. inspectante populo potuisset lapidibus obrui? R. Salvianus: *Ut totus po-*
 Dei. *pulus imbiberet horrorem & aversionem à blasphemia.*

3. Pendente Domino in fatali ligno sol mundi oculus suos retraxit radios: *Tenebra facta super universam terram.* Et quare sol non exspectavit, donec sol justitiæ, qui est Christus DEUS noster, in cruce ob-

Math. 27. 45

lisset? R. Hieronymus: *Videtur luminare manus retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes suâ luce fruarentur.* Nolebat enim Serenissimus astrorum princeps ulterius aspicere tam impios & execrandos Filii Dei blasphematores, in infimo inferni loco suo tempore collocandos: *Nihil horribilius,* ait citatus S. Hieronymus, *S. Hieron. in blasphemiâ, quæ ponit in cælum os suum; omne quippe peccatum comparatum blas-*

Math. 27. 5

S. Bernhard. ser. 4. Tom. 1. Psal. 113. 17.

phemiâ levius est. Et tu adhuc audes DEum blasphemare? 4. Sed & terræmotus factus est, dum mitissimus orbis Redemptor in cruce expiravit, montes disrupti: petra scissæ, monumenta aperta, & omnis creatura sese armabat ad vindicandas Filio Dei à blasphemis illatas injurias; hi enim longè crudeliùs sæviebant in Christum, quam carnifices, qui ejus tantum sauciarunt corpus; sed illi animam piensissimi JESU transfixerunt, & adhuc mali Christiani transfigunt, dum contra DEum in cælum ponunt os suum. Audi Sanctum Bernhardinum: *Nihil horribilius blasphemiâ, quæ ponit os in cælum! ô diabolici homines! ô incarnati demones! non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum, inter quos blasphemi primi sunt.*

Apoc. 1. 7.

Matth. 12. 31.

Tunc adimplebitur illud, quod dilectus ille Christi Discipulus prædixit: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerrunt.* Adverte: Supremus ille ac justissimus Judex, qui nec prece nec pretio flectitur, longè severiorem se ac prorsus implacabilem erga blasphemos exhibebit, quam contra alios peccatores: *Tunc videbunt in quem transfixerunt;* unde Veritas dicit: *Spiritus blasphemiam non remittetur.* 5. Et inclinato capite tradidit spiritum. Quæres cur inclinato capite? Observa: Consummavit tunc Christus jam omnia tormenta ac mysteria, quæ Pater illi imposuit perferenda & peragenda; Restabat nunc solum mortis catastrophe, ut per mortem JESU vita & salus restitueretur hominibus; quid fecit moriens Redemptor? caput inclinavit, & simul tradidit spiritum, ut in omnibus Patri se exhiberet obedientem; Inclinavit autem caput ad partem dexteram, & quare non ad sinistram? S. Alphonsus Salmeron: *Ad dexteram, ut pie credendum est, ne infelicissimi latronem blasphemantem audiret.* Unde S. Lucas: *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum.* Ecce latro bonus cum sermone suo divino salvatus est, alter blasphemus cum maledictis suis æternum damnatus; cum quo vis ire blaspheme in æternitatem?

Jo. 19. 30.

Salmer. To. 1. Luc. 23. 39.

6. Primus inter homines blasphemus extitit impius Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Sennacherib Rex ob blasphemiam

Gen. 4. 13;

Gimber Unus pro omnibus.

Ss in

4. Reg. 19. 35. in DEum jactam cum omni exercitu suo miserrimè periit: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cùmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: Et recedens abiit.* Holofernes, quia DEum blasphemavit, a muliere capite truncatus, & exercitus illius trucidatus est: *Et percussus est in cervicem ejus, & abscidit caput ejus.* Nicanoris blasphema lingua et mandato Judæ Machabæi ex faucibus præcisâ, & cœli volucris devoranda data est: *Linguam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim atibus dari, manum autem dementis contra templum suspendi.* Herodes blasphemans Deum à vermibus consumptus est: *Confestim autem percussus eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: Et consumptus à vermibus expiravit.* Antiochus turpissima plagâ ob blasphemantem linguam periit: *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & satore exercitus gravaretur.* Ite nunc blasphemi, & ad æternum barathrum vos parate.

Hom. 19.

7. Pro dictorum coronide adhuc unam propono quæstionem: dic mihi sodes! si lupus ovinâ contegitur pelle, ambulatque æqualiter in pascuis cum ovibus, ex quo signo lupum & ovem dignoscēs? Author Operis imperfecti: Ex voce: Ovis, ait, *inclinata deorsum balat, lupus in aëra convertit caput suum contra cælum, & sic ululat.* En discrimen inter hominem probum & reprobum: Blasphemi ponunt in cælum os suum, & si quid adversi illis acciderit, ululant, ac milliones SS. Sacramentorum &c. &c. effutiunt; homo verò Christianus & in lege DEI bene instructus in omnibus adversis se penitissimè DEO committit: *Pacem non habebis in regno tuo,* dicebat quondam crucifixus JESUS ad Robertum Francorum Regem, nisi blasphemos sustuleris.

P. Lohner.
in Bibl.

CON-